


ΟΜΗΡΟΥ

ΠΟΙΗΜΑΤΑ.



HOMERI

CARMINA.

EXCUSEBANT FIRMIN DIDOT FRATRE  
VIA JACOB, 56.

Α  
ΟΜΗΡΟΥ

ΠΟΙΗΜΑΤΑ

ΚΑΙ ΤΑ ΤΟΥ ΚΥΚΛΟΥ ΛΕΙΨΑΝΑ.

---

HOMERI CARMINA

ET CYCLI EPICI RELIQUIÆ.

---

GRÆCE ET LATINE

CUM INDICE

NOMINUM ET RERUM.

---



PARISIIS,

EDITORE AMBROS. FIRMIN DIDOT,

INSTITUTI REGII FRANCIE TYPOGRAPHO,

VENIT APUD FIRMIN DIDOT FRATRES.

•••••  
M DCCC XXXVII.

Α

## PRÆFATIO.

INCEPTUM nostrum, quo primi in Gallia Græcos scriptores in unius corporis æquabilitatem redigere aggressi sumus, commendatione et notis præfationum artibus egere non videtur; sed paucis dicendum est, unde ea quam elegimus edendi ratio pendeat. Dudum ægre tuleramus quod tot scriptorum editiones veteribus inquinatæ vitiis vulgo circumferrentur atque adeo sæpius repeterentur, dum exstarent eorumdem scriptorum emendatæ et a summis criticis antiquo nitore restitutæ: annon oportuit illorum ingeniorum, quæ optimi quique nostratium laudibus et imitatione celebrarunt, opera popularibus nostris exhiberi pura, emendata, quantum fieri potest libera a depravatione barbariæ quam transierant? Hoc igitur primum et præcipue curamus, ut non solum ex optimis quæ exstant editionibus scriptorum quisque exprimatur, sed harum etiam multas criticis celeberrimis tradidimus denuo examinandas et emendandas; præterea, ubicumque res videtur postulare, Regiæ Bibliothecæ manuscriptos imus consultum. Altera cura est, ut ad intelligentiam quoque scriptorum in Collectione nostra præstamus quod prosit unicuique: quum enim adnotatio vel præstantissima ex arbitrio denique pendeat commentatoris, cui plana nonnunquam videbuntur quæ aliis obscura, *interpretationes latinas* e regione græcorum ponere decrevimus, utpote quæ prorsus omnia reddant, non locos selectos illustrent. Has vero, antequam tradantur typothetis, doctissimi viri severo examini subjectas accurate corrigunt; nonnullorum scriptorum plane novæ parantur. Denique multum augeri putavimus editionum nostrarum utilitatem, si boni *rerum nominumque indices* adderentur; nam vel ii qui scriptorem aliquem sæpe legerunt, nonnunquam haud satis meminere quo in libro ejus quove versu vel capite narretur res qua opus habent. Ceterum de cura unicuique scriptori impensa referetur in præfationibus.

HOMERI, ut nunc res sunt, *Wolfiana* dari debebat recensio, quam ex Gulielmi Dindorfii editione accurate expressimus. Interpretationes latinæ, bono ut nobis videtur consilio, in hoc antiquissimo poeta verbum verbo reddunt, nisi quod sæpe comtas posteriorum more periodos ingerunt, oppositionibus distinentes, causalibus particulis vincientes, quæ apud illum ingenue et libere procedunt. Præterea ipsis inhærent

veteris textus græci vitia, et alia quædam ex vertentium incuria nata, plurima denique in iis vocabulis commissa, quæ recentiorum demum criticorum et interpretum sollertia explicuit. In postremis ita versati sumus, ut, quæ dubitatione carere et firmis niti testimoniis viderentur, ea haud cunctanter repræsentaremus; at ubi dubitationis aliquid superesset, sequeremur potius antiquorum interpretationem eam quæ sententiæ aptissima esset. Hoc autem præsertim enisi sumus ut quam proxime posset latina lingua Græcorum vestigia legeremus, quo patris poetarum membra et motus omnes, quantum per latinam vestem licebat, conspiciendi præberentur; sed in tali incepto non potuit impediri, quin nonnulla quæ rarissime sibi indulserunt Latini, hæc translatio offerat frequentissime; nonnulla etiam quæ argenteam ætatem egrediuntur, recipi necesse erat: a barbaris tamen verbis et locutionibus sedulo cavimus. Ita, veteribus licet superstructa, hæc interpretatio pro nova esse possit.

Hymnis et Epigrammatibus Homeri nomine inscriptis subjecimus *Cycli epici fragmenta*: in quibus varie erratum erat, antequam F. G. WELCKERI doctrina et poetarum veterum mythicæque historiæ cognitio eximia Cyclum quoque ab omni parte illustraret, in libro germanice scripto, *Cyclus epicus sive Homerici poetæ*, Bonnæ 1835. Ibi videas exposita argumenta nostri carminum et fragmentorum ordinis, qui longe differt a prioris Collectione C. G. Müller (Lips. 1829); præterea plus viginti fragmenta apud nos invenias, quæ in illa desiderantur. Thebaidem ex E. L. Leutschii, Cypria carmina ex R. J. F. Henrichsenii Collectionibus (Gottingæ 1830, et Havniæ 1828) recognitis expressimus.

Denique indices Homericos quum circumspiceremus, nullum potuimus invenire qui nostris usibus responderet; solus Dammius in «parte reali» idem fere nobis consilium secutus erat: at quam incondita hæc farrago! quam longis et insulsis disputationibus in immensum aucta! nihilominus, quod in tanta mole vix credas, desunt nonnunquam ea ipsa quæ in indice Homérico quæras; præterea res in Hymnis et Epigrammatibus memoratas consulto omiserat. Quæ quum ita essent, prorsus novum indicem non sine magno labore condidimus ipsi, cui ea quoque inserta leges quæ ex Cyclo nobis servata sunt.

Reliquum est, ut Tu, benevole Lector, operam huic volumini impensam æquo animo boni consulas. Vale nobisque fave.